

contra animi nostri sententiam designatum esse profes-
sorem, nullo doctrinae nomine, nulla eruditionis fama no-
tum, imò cum ad prælegendum accessisset, auditorio per-
ridiculum. Itaque nostram Parisiensem curiam, de frau-
de, quæ reipub. fieret, edocuit, & rogavit ut is, qui se fa-
ctum professorem diceret, examinaretur: quod à senatu
decretum, nobis quoque ratum ac probatum est. Quam-
obrem ut in posterum dignitas professionum regiarum,
doctissimis tantum maximeque idoneis mandetur, de con-
silio nostri sententia, deliberatione certa, mera ac regia
authoritate vacationem regie professionis, cuiuscunque
vel linguae vel scientiae, per omnes celebres academias scho-
lasque promulgari, omnesque qui prælectionem & disputa-
tionem à decano & reliquis professoribus propositam subi-
re voluerint, ad examinem admitti volumus, & mandamus,
ut ex omnibus qui prælegerint, disputarint, de quibus à
decano, & professoribus reliquis renuntiatum nobis fue-
rit, potestas nobis sit optandi legitimeque designandi pro-
batum maxime, maximeque idoneum: absque præiudicio
tamen iudicii in curia nostra iam facti, quod ad eum at-
tinet, in quem examen decretum sit. Itaque mandamus
charis & fidelibus nostris senatoribus Parisiensibus,
prefecto præfective legato privilegiorum conservatori
Parisiensis academiae, ut nostrum diploma legendum,
publicandum, in publicas tabulas referendum, atque ob-
servandum curent, nec ullo modo violari patiantur. Sic
enim